



Fondo librario antico dei Gesuiti italiani
www.fondolibrarioantico.it

Fondo librario antico dei Gesuiti italiani
www.fondolibrarioantico.it



S A N C T I
F R A N C I S C I B O R G I A E
E T S A N C T I
F R A N C I S C I X A V E R I I
S O C I E T A T I S J E S U
D E P R A E D I C A T I O N E E V A N G E L I C A
P A R A E N E S E S

A D V I R O S A P O S T O L I C O S
C O E L E S T I S S A P I E N T I A E A R T I B U S
A T Q U E C O P I I S I N S T R U E N D O S
N U N C P R I M U M S I M U L E D I T A E.

S. F.
—
40



V E N E T I I S
T Y P I S F R A N C I S C I A N D R E O L A E
M. D C C C I I.

25A10D24

G
I
1016
E V A N G E L I
H R A N C I S C I B O R G I A E
E T S A N C T I
H R A N C I S C I X A V E R I
S O C I E T A T I S I R S O
D E L L A D I C A Z I O N E T A N C I S C I
P A R A M I S S E S
A D V I T I O S A P O S T O L I C O S
E D I T E R T I S S A P T I T U D I N E A U T I T U S
A L G R E C O H I C I A N T A T U R I N D O S
N U C R I M U M S U M I T I C I



A V V I N A T I I S
T U T T O S A H R A N C I S C O S A M B I C O I N E
M D C C C I I I

LUDOVICO . FLANGINIO

MARCI . F. P. V.

COMMENDATIONE : SAPIENTIAE

VIRO . CLARISSIMO

SANCTAE . ROMANAЕ . ECCLESIAE

CARDINALI

PATRIARCHAE . VENETORUM

&c. &c.

AMPLITUDINEM . DIGNITATIS.

GRATULATUR.

MAURUS . BONUS . EX. S. I.

QUM DEI IMMORTALIS NUN-
mine clementiaque, ad tuae
dignitatis amplificationem ,

SUDOCUS . ETIACIN

ALIA . ETIACIN

САЛТИИ . САЛТИИ . АМОДИИМОС

ОМІСІЛЛА . ОЛІО . ОЛІО

МАНІСІЛЛА . МАНАМОЛ . МАНОЛА

ІДАІСІЛЛА

МІСІЛЛА . ВІМЕСІЛЛА

ОЛІО . ОЛІО

СІЛАІСІЛЛА . МІСІЛЛА

ХУСІЛЛА

МІСІЛЛА . МІСІЛЛА . МІСІЛЛА

Q
MU DEI IMMORTALIS Nostri
zonne cleuegentisdes , so g roose
gheleitdij sublygescjouren

faetum sit, ut PATER et
 PASTOR PATRIAЕ (quis ho-
 nor amplissimus in hac Ci-
 vitate) rei christianaе mo-
 derandaе constitutus fueris:
 Evidem statim coepi mecum
 animo cogitare, si qua pos-
 sem officium observantiae
 meae, quod est verae gratu-
 lationis, laetitiamque bono-
 rum omnium publice testari.

Et quoniam hoc ingenio
 nihil egregium, nihil ista tua
 Sapientia dignum moliri va-
 leo; ne tempori deesse vi-
 dear, haec saltem non aliena,
 veluti ex domestico thesauro
 Veterum Patrum Societatis
 Iesu praeclara monumenta of-
 ferenda tibi esse duxi; ut

quae ante CCL. annos com-
moda et adjumenta ad rem
christianam propagandam con-
firmandamque attulerint, ea-
dem Nominis Tui fulgore
excitata reflorescant.

Quid enim utilius, quam
hujusmodi operibus, ceu mu-
nitissimis quibusdam praesi-
diis Ecclesiae firmitatem tue-
ri? Quid sanctius, quam Ec-
clesiasticorum hominum in-
genia Veterum Patrum exem-
plis atque voce instituere?
Habet enim ipsa vetustas ne-
scio quid auctoritatis et vi-
rium; atque Illi Ipsi in tra-
ctandis rebus arduis divinis-
que negotiis, ut ingenio et
mente beatiores, non huma-

nae sapientiae argutiis admirationem sibi comparare, neque subtilibus disputationibus popularem auram plausumque captare student; sed Legis vim ac Sanctitatem in hominum animis infigere penitissime conantur. Itaque quod evincere moliuntur, id longe efficacius praestant, quam si Chrysippis illis essent artibus, atque copiis instructi; ut mentem afficiant, sensum immutent, animos efferant, & ipsum denique hominem, quantus quisque est, in virum perfectum transforment.

Quae me, PRAESUL AMPLISSIME, pepulerunt causae, ut Tibi hos Patrum nostrorum

foetus offerre auderem ; eadem istam tuam Sapientiam facile adduxerunt , ut eos sub Nominis Tui praesidio tutelaque in lucem prodiisse patiare .

Quod reliquum est , Eminentiam tuam Deus Immortalis ad majorem sui Nominis gloriam , & Ecclesiae Catholicae firmamentum quam diutissime in columem tueatur .

Venetiis . Kal. Januar.

An. M.DCCCXII.

S. FRANCISCI BORGIAE

PRÆPOSITI GENERALIS

S. J.

ELLOGIUM.

A Philippo Alegambe adornatum. Bibl. Scri-
ptorum S. J. fol. Antuerpiæ 1643.

pag. 116.

S▲ Franciscus Borgia natione Hispanus, patria Valentinus sæculi nostri decus, & specimen Sanctitatis, spreto Gardiae Ducatu, & amplissimis honoribus, opibus, delicis clientelis, ac familiæ suæ ornamenti, Christi paupertate ditior, & humilitate honoratior, singulari Dei vocatione & impulsu, in recens natæ, & nondum cognitæ atque explicatae Societatis obsequium se tradidit anno Salutis 1548. ætatis suæ 37.

A

Cardinalitiam Dignitatem a Julio III.
Pont. Max. sibi oblatam constantissime
repudiavit. Ejusdem Societatis in Hi-
spania Commissarius Generalis fuit :
Romæ bis Vicarius, ac demum Præpo-
situs, ordine tertius, Generalis ; quod
munus officii VII. annos & III. men-
ses sanctissime gessit : Cumque ex lon-
ga & laboriosa ad Hispaniarum, Lusita-
niæ, Galliarum q. Reges profectione (qua
jussu S. Pii V. Pont. Max. cum Car-
dinale Alexandrino functus fuerat) in
Urbem, itineris laboribus confessus,
æger ac pene exanimis rediisset, pridie
Kal. Octobris sanctissime excessit e vi-
ta, anno salutis 1572. ætatis vero suæ
62. propemodum expleto. Eum SS. D. N.
Urbanus VIII. Pont. Max. die 23. No-
vembris, anno 1624. catalogo Beato-
rum adscripsit, potestatemque fecit pu-
blico illum honore Ecclesiastici officii,
& missæ celebratione colendi ; eamque
facultatem postridie Kal. Septembris,
an. 1625. ad omnes etiam exteros ,

qui lege Canonicarum Precum tenentur, extendit: demum Clemens X. Pont. Max. plurimis magnisque miraculis claram in Sanctorum numerum addidit. A Sancta Theresia, quæ ejus utebatur consiliis, vir Sanctus; a Gregorio XIII. Pont. Max. Fidelis verbi Dei minister appellatus. Sacrum ejus corpus Madridum Roma translatum magna ibi veneratione & populi frequentatione in templo Domus Professæ servatur.

Idem & Auctor egregius opuscula quædam Hispanice scripsit valde utilia, ad formandos mores, & profectum spiritus pertinentia, quæ typis olim excusa, non ita facile in manibus haberi possunt.

Ex his quædam hæc sunt.

1. *Christiani hominis speculum, seu, de Christianis operibus.*
2. *Collyrium Spirituale.*
3. *De Preparatione ad Sacram Eucaristiam.*
4. *Exercitatio Spiritualis ad sui cuiusque cognitionem.*

• A 2

5. *Super Canticum trium Puerorum* ≡ Be-nedicite ≡
6. *Sermo de verbis illis Lucæ XIX.* Ut appropinquavit Jesus , videns Civita-tem , flevit super illam , dicens , si co-gnovisses & tu etc.
- Quæ omnia latine reddidit alphonsus Deza Theologus Soc. Jesu .
7. *Libellus de Confusione sui.* editus anno 1546.
8. *Instructio Equitis Christiani .* A Vin-centio Abundio Italice conversa . Ve-netiis ap. Gabrielem Jolitum 1561.
9. *Epistola ad Socios Aquitanos , De mediis conservandi Spiritum Societatis & Vo-cationis nostræ .* Quam scripsit dum esset Præpositus Generalis , & extat inter Præpositorum Generalium Soc. Jesu Epistolas , ordine quarta .
10. *Meditationes de Passione Domini per omnes horas Canonicas .*
11. *Præcipue & maxime necessariæ ma-teriæ ex Summa Theologie D. Thomæ Aquinatis in litaniarum rationem reda-*

etæ . Valentiæ 1550 , & iterum ap.
Joannem Mey . 1570 .

12. In Threnos Jeremie &c.
13. Meditationum in Evangelia , quæ per annum , Dominicis & festis diebus leguntur in missa Tom. II.
- II. Præterea præclaras lectiones alias quibus extremam manum ponere non licuit.

14. De ratione concionandi , seu de prædicatione Evangelica libellus . Antuerpiæ typis Joachim Tornæsii . Quem cl. Andreas Schottus Soc. Jesu , una cum eiusdem S. Francisci Borgiæ vita , latinum fecit ; quemq. bono rei christianæ recudendum curamus . Est enim opus numeris omnibus absolutum , ac tantæ dignitatis & pretii , ut qui in officio Evangelicæ prædicationis sese exercere debeant , viam certam , eamq. brevem & quasi compendiariam habeant , ex ipso purissimo Evangelii fonte , atque ex veterum Patrum instituto miro ordine explicatam , ad Christianæ Sapientiæ præcepta sancte ornateque tradenda ,

A 3

o(6)o

& in auditorum animos penitissime in-
figenda .

Plura de clarissimo & sanctissimo vi-
ro non addimus , quoniam ejus vita
IV. libris comprehensa in manibus
habetur . Sed jam ipsum loquentem
audiamus .



SANCTI PATRIS
FRANCISCI BORGIAE S. J.
DE RATIONE CONCIONANDI
LIBELLUS.

C A P U T I.

*Præparatio ad concionandi munus cum
timore, & fiducia Dei.*

Qui ex officio, Superiorumque jussu,
de Superiore loco ad Populum de
Verbo Dei disserere student, ii optimo
jure cum Propheta dicere possunt: *Ti-
mor, & tremor venerunt super me: Ti-
mor quidem ob muneris magnitudinem;
tremor vero, quia me ipse probe explo-
rans, quæ doceo, eadem re præstare de-
beo, ne minacem illam vocem audiam:*
Quare Tu enarras justitias meas? Psalm.
49. etc. Ex altera parte sitaceo, & ta-

A 4

fentum a Domino mihi creditum defo-
 dio; timor quoque, & tremor erit, ne
 aliquando ad me quoque pertineat illud:
væ mibi, quia tacui. Isai. 6. Nec enim
 modicæ culpæ affinis est, qui ubera, &
 lac doctrinæ filiis Dei esurientibus ne-
 gat. Quod crimen, qui committant,
 crudeles perinde sunt, atque lamiæ de-
 quibus, per Hieremiam Prophetam Deus
 sic expostulat. *Lamiæ nuda verunt mam-
 mam, lactaverunt catulos suos, filia Po-
 puli mei crudelis, quasi Struthio in deser-
 to.* Thren. 4. Si suggestum concionatu-
 rus ascendo, vereor, ne negligenter me
 comparaverim, careamque zelo honoris
 Dei, & salutis Proximorum: timeo, ne
 ambitione peccem, aut inanis gloriae
 studio: quæ vitia vanum hominem, &
 sui amore obsecratum comitari solent.
 Si, ut boni Ecclesiastæ, seu Concio-
 natoris munus expleam, divino Spiri-
 tu, gratiaque cœlesti opus est: quale
 nam hoc meum domicilium est, quod
 Dei Spiritus inhabitare velit, cum cor

hoc meum latronum spelunca sit, nidus
 serpentum, antrumque Dœmonum? E-
 xod. 4. Hierem. I. Si Moyses, & Hi-
 remias se coram Deo purgant, detre-
 stantque legationem, quod se indignos,
 & ineptos huic muneri, balbos item,
 & infantes cognoscerent. Isa. 6. si Isaias
 indigebat, quo Angeli manu urerent-
 tur, & mundarentur labia, prius quam
 cœleste nuntium proferret. Si innocen-
 tissimæ vitæ Christi Præcursor jam inde
 a puerò pœnitentiam sectatus, solitudi-
 nis asperitatem amplectitur, ut hic Mund-
 i Redemptorem, Agnumque Dei digi-
 to melius monstraret. Luc. I. Matri.
 I. Si denique Salvator ipse, antequam
 ad Evangelicam prædicationem aggredie-
 retur baptizari prius in Jordane voluit,
 & cœlos aperiri, unde potestas docen-
 di a Patre Cœlesti accepta hac voce ab
 omnibus exaudiaretur; *Ipsum audite:*
 Matth. 4. Si desertum ingreditur, jeju-
 nat, pugnat cum Dœmone, & vincit;
 quomodo non timebo qui in desertum

A 5

non abii? quomodo non tremam, qui
in mundi horto desideo, nec cœlos mihi
apertos video, sed infernum potius me-
rito peccatorum? neque Patris æterni
vocem parendo audivi, sed Dæmonum
potius sibila auscultavi, neque tentatio-
nes superavi, sed illis deditus captivum
me tradidi?

Gentium Doctor Paulus humo affigi-
tur, & oculorum lumen, ne mundum
aspiciat, amittit. Deus enim Evangelii
prædicatorem humiliari vult, atque ter-
rena hæc aspicere prohibet. Quomodo
ego superbus, & in terrenis rebus lyn-
ceus, in cœlestibus & æternis cœcus,
qua fronte cathedram Sanctorum ascen-
dam, & eloquar, quæ non satis intel-
lico? quomodo docebo, quæ ipse non
servo? Humili sui cognitione, & pu-
dore vilitatis suæ se ipse concionator
cognoscat, atque dejiciat, magni mü-
neris, quod sustinet, habita ratione.
Verum, ne animo deficiat, cavendam,
neve ignavus reddatur timore, ut dicen-

di, ac reprehendendi viribus, & nervis
careat ; neve amittat sanctam illam li-
bertatem, auctoritatem, & zelum huic
officio pernecessaria . Temperandi i-
taque , & corrigendi timores fiducia
Dei ; animumque addat suæ imbecillita-
ti, atque tristitiae , fortitudine , & gau-
dio Spiritus Sancti necesse est . Quare
in mentem illi veniat , quantam Dei
oculis voluptatem adferant , omnibusque
adeo cœlitibus gaudium , pedes prædi-
cantium Evangelium : Sic enim per Pro-
phetam Spiritus Sanctus ait : *Quam spe-
ciosi pedes Evangelizantium pacem , evan-
gelizantium bona* : Isa. 9. Difflsus ita-
que scientiæ talento , sistat se Deo ,
petatque sapientiam , gratiam , virtu-
tem , & fortitudinem , dicatque hu-
mili veritate : *Domine , non est sermo in
lingua mea*: Psal. 138. & *Domine labia mea
aperies , & os meum annuntiabit laudem
tuam* . Psal. 50. Tu si Deus opem
fers , vitam emendabo , & per semitas
tuas ducam Fratres meos , & anteactæ

A 6

vitæ meæ errata medicinam illis adserent, atque remedium: *Docebo iniquos vias tuas, & impiū ad te convertentur.*
 Psal. 50. Matth. 9. Et si tu, o Deus, negas bonum esse vinum novum Evangelii tui mittere in utres veteres, & laceras; qualiter anima mea tot vitiis inquinata digna erit, quam tu manu tua renoves, & adornes, ne in me liquor ille perest, nec Proximi misericordia tua priventur: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis.* Psal. 50. Et quamquam vitio meo manus habeo Esau, erit vox mea Jacob, tractans magnalia tua, & misericordias, ut acquiram mihi, & Fratribus meis benedictionem tuam. Hac fiducia vade, o Ecclesiastes, gladioque accingere, quod est Verbum Dei, & Spiritum Sanctum ora, ut se verbis tuis insinuet, cordaque auditorum penetrent, qui solus claves habet, & aperit, quando vult, *ut detur tibi sermo, quemadmodum Apostolus ait, ad Ephes. 16. In*

aperitione oris tui cum fiducia , notum facere mysterium Evangelii , pro quo legatione fungeris , ita ut in ipso audias , prout oportet , loqui : Legatione enim fungeris , sive ex officio , quo teneris , sive ex obedientia , quæ tibi hoc munus mandat .

C U A P U T E M I C H A E L I

Quale studium concioni adhibendum.

HAc præparatione , oratione , &c sup cognitione instructus Evangelium legat , quod explanandum suscepit , facto prius conscientiæ examine , quam librum aperiat ; pulvis enim peccatorum oculos spiritus impedit , quominus possit civilibus pretiosa discernere , ut oportet , teste Propheta Hierem . 11 . facere illum , qui Dei ore , & lingua loqui vult . Lecto Evangelio , Sanctorum Patrum , Ecclesiæ Doctorum veterum expositio-

nem consulat, & recentiorum eos, qui
ingenio suo magis quadrant: petatque a
Deo spiritum, quem cum illis Sanctis
communicavit in explicando Evangelio:
Nam sine illo Spiritu, frigide s^epe di-
cet Concionator, & fructum ex Audi-
toribus non colliget. Caveat diligenter
Ecclesiastes, ne formulis, & phrasibus
hæreticorum utatur: Sanctorum Patrum
scripta attente legat, nec audacter, quæ
ab illis dicta sunt, proferat: illi enim
s^epe, ut tempora tum ferebant, cum
scriberent, & quo fine scribebant, non
errarunt: nonnulla dixerunt, quæ si in
hoc s^eculo incidissent, non erant di-
cturi. Nec illorum verba citet in sug-
gestu, impugnandi gratia, vel refellen-
di; id enim esset Sanctorum auctoritati
derogare, & populum offendere. Habeat
illos potius humili sensu magistrorum
loco, iisque addictus sit, gaudeatque se
instrumentum esse gloriæ accidentalis
Sanctorum, renovando honorifica præ-
dicatione sanctam, quam docuerunt, do-

strinam, literisque mandarunt, ad Deū
 gloriam, & Evangelii incrementum,
 animarumque salutem. Vitabit, tam-
 quam scopulos, inventa a se, atque ex-
 cogitata, temere plebi obtrudere, quin
 potius receptam Scripturæ interpretatio-
 nem libenter amplectetur, optimamque
 interpretandi rationem existimet, Scri-
 pturam per alia Scripturæ loca interpre-
 tari, & Patrum loca inter se compone-
 re; Vulgatam Bibliorum lectionem reli-
 giose sequatur, sensum sequutus Sancto-
 rum Augustini, Hyeronimi, Gregorii,
 Ambrosii, atque Chrysostomi; Glossam
 item, quam interlinearem, & ordina-
 riam vocant, non fastidiat. Scripturæ
 loca interpretari non audeat, nisi bene
 itellecta. Tamquam rem sigillo obsigna-
 tam revereatur Scripturam, humiliter
 tractet, præmissa precatione, adhibito-
 que diligent studio; sic fiet, ut Deus
 abdita resignet, & quasi tenebris obdu-
 cta revelet. Solet enim, quæ abscondit
 Sapientibus hujus mundi, revelare ea pen-

vuln. Matth. 11., quod curiosi, & superbi non consequuntur, id humilibus datur. Letis jam diligenter interpretibus sacris, ruminet, accurateque consideret, atque inventa disponat. Animum inde Sacrarii loco, & adytorum conservet, haustis tamquam divitiis ex thesauris Dei Familiarium Sanctorum Patrum. Meminerit eidem Deo clavem tradere, cordisque sui custodiam commendare tamquam capsulam doctrinæ cœlestis, uti vere cum Propheta Regio dicere queat: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut numquam peccem tibi.* Psalm. 113. Sic itaque munitus, si interdum, ut fit humanitus, a Dœmone lœdaris, pudeat te tui, pœnitentiaque humiliter, confugiens statim tamquam ad anchoram ad Confessionis Sacramentum. 1. Corinth. 4. Meminerit quoque thesaurum se portare in vasis fistilibus, quæ Deo commendet, ut thesaurus ille tutus sit a furto Dœmonis, & inanis gloriæ. Quemadmodum fecisse accepimus Beatum Fran-

ciscum, Deum sic identidem appellando: *Custodi Domine tuos ipse thesauros, cognovi enim furem me esse, alioqui eos ipse, vel auferam, vel hosti tradam.*

C A P U T III.

De Meditatione ante Concionem.

Nec satis ducat Ecclesiastes legisse, 2. Reg. 18. studiumque adhibuisse, memoriaque complexum esse dicenda, verum in mentem illi Eliæ veniat Prophetæ exemplum, qui comparatis iis, quæ ad Sacrificium necessaria essent, Deum oravit, ignem de Cœlo mittere quo victimæ incenderetur: Et cecidit ignis Domini, inquit Scriptura, & voravit holocaustum, & ligna, & lapides. Thren. I. Idem, & ille precetur, oretque Dominum cum Hieremia: *De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudit me.* Credat itaque absque hoc igne mansu-

rum crudum cibum , & insipidum , ut
 ne convivæ quidem concoquere possint .
Hic vero ignis precando parari , & me-
 ditando solet , ut expertus ille , qui di-
 xit : *In meditatione mea exardescit ignis* .
Psal. 38. Hac meditatione instructus
Concionator ex Evangelio , quod in ma-
 nibus est , attributa hauriat divinæ qui-
 dem Potentiæ in miraculis , Sapientiæ ve-
 ro in doctrina præceptionum , & consi-
 liorum , Bonitatis denique in Misericor-
 diæ effectis . Sumat & inde virtutes Fi-
 dei , Spei , Charitatis , humilitatem item ,
 patientiam , fortitudinem , castitatem ,
 misericordiam , & reliquas . Re enim ex-
 plorata comperiet , nullum esse Evan-
 gelium , ex quo spiritualis homo , multa ,
 & alta non queat haurire id genus ex-
 cellentis virtutis . Sententias expendat ,
 & verba , a quo , & ad quem prolata ,
 quo fine , tempore , & occasione dicta :
 in omnibus enim mysteria reperiet , si
 Deus illi clavem intelligentiæ Scriptura-
 rum dederit . Deus enim æternus qui pri-

mum locutus est in Prophetis, post nobis locutus est in Filio. Hebr. i. Et hic quidem sermo non est in Evangelio mutus, sed iis diserte, qui aures audiendi habent, loquitur.

Fingat se præsentem sermonibus a Christo habitis, & ad vivum auditoribus exprimat voce potius, quam gestu. Observet minas ad terrorem incutendum; misericordias vero Dei, & beneficia ad amorem Dei conciliandum. Timor enim animum a vitiis deterret, ut contra amor ad virtutem inflammat. Induat Ecclesiastes eas animi affectiones, quas auditorum animis imprimere vult; nec enim alios movet, qui non prius se moverit, incenderit, atque inflamarit, unde & quidam olim ait: *Si vis me flere, dolendum est primum ipsi tibi.*

Consolationi erit futuro Concionatori in laboribus, atque vigiliis considerare Christum Dominum, cum illa verba, quæ interpretanda suscepit, diceret, Pa-

trem in verbo Divino spectasse, & quasi
 jam coram esset prædicaturus, quaque
 attentione auscultarent auditores: Ani-
 madvertat quoque Christum Dominum
 pro illis se obtulisse, qui illum audi-
 rent. Speret itaque conciones tali patro-
 cinio, ac præparatione fructum allatu-
 ras, Deoque Patri offerat, ut Filius ob-
 tulit, rogetque, ut verus infirmorum a-
 nimorum medicus, auditoribus medici-
 nam impertiatur Evangelii, quantum iis
 opus esse non ignorat. Roget quoque
 ut medicum illum doctrinæ panem, quem
 ad suggestum inops adfert, in manibus
 suis multiplicari patiatur, & auditori-
 bus largiatur: Quod nisi fecerit, neque
 qui plantat, neque qui rigat, adferent
 emolumentum, quin potius damnum
 concessionatori adferet prædicatio. Quem-
 admodum imperitus medicus nocet æ-
 groto, si ignorantiae culpa, aut negli-
 gentiae, pharmaca præpostere porrigit.
 Ad finem meditationis dolorem expen-
 dat, quo Deus offensus angitur, & ze-

lum, quo uti oportet, & illius amore,
 & in ovium salutem, mortem non de-
 trectet. Qua quidem in re, si se pro-
 fecisse sentit, argumento est, medita-
 tionem bene spiritui successisse, ut E-
 vangelium manducatum in libro Apo-
 calypsis beati Joannis, quod amaritudi-
 nem adfert sensui, *etsi in ore tuo videa-*
dur dulce, tamquam mel. Apoc. 10. Sciat
 quanto plures lacrymas effuderit, tanto
 melius gustare faciet populo myrthæ
 amaritudinem. Tandem dabit illi Do-
 minus intelligentiæ lumen Spiritualis;
 scriptum est enim. Psalm. 118. *Decla-*
ratio sermonum tuorum illuminat, *in*
tellectum dat parvulis, modo humili gra-
 tiarum actione accipientur, & donum
 gratuitum, nulliusque meriti esse sui a-
 gnoscat. Etsi nullum alium laborum
 fructum recipiat a lectione ante medita-
 tionem, illo contentus sit, memor il-
 lam etiam esse gratiam, donumque Dei.
 Certus etiam sit, si his bene utatur,
 majora se acceptum. Meminerit pra-

terea præceptorem non solere alteram discipulo lectionem dictare , donec priorem bene teneat . Denique si in nihil recipiendo humiliare se novit , non exiguum concionator fructum capiet .

C A P U T . IV.

De Dispositione Concionis.

QUÆ legerit , meditatusque fuerit Ecclesiastes , ordine digerat , necesse est , qui ordo loco libri erit , quo memoriaz causa quotidiana notamus . Dici enim non potest , quantum ordo , dispositio- que memoriam juvet : Si enim multa collegerit , magnamque rerum copiam in suggestum attulerit , sed rudia omnia , & indigesta , & confuse omnia , pertur- bateque dicet , & fastidium auditoribus sine fructu pariet . Deinde aut non intel- ligit auditor , aut nihil memoria reti- net , & rerum permixtio efficit , ut ni-

hil persuadeas, voluntatemque non moveas. In universitatis creatione ordo docetur, & in ædificiis extruendis: ut mediis concionibus Spiritus Sanctus in cordibus habitet fidelium. Primo creavit Deus (ut imaginamur) materiam primam informem, hinc lucem, & terram, cæteraque, quæ materiam & illustrarent & adornarent, donec ad hominem creandum per ventum est, omniaque suo loco collocavit. Idem concionatori sentio faciendum, qui locum primo eligat, topicum argumentum hinc ducet, materiamque doctrinæ, quam sermone persuadere populo cupit; deinde conquiret, quid ea de re Sancti Patres docuerint, meditabiturque Evangelium. Hinc ornabit eleganti ordine, omniaque locis accommodis disponet, partes digerendo, donec intellectui factum sit sat: ad hæc habeat locos multos communes in promptu, sententiarumque copiam, auctoritatum vim, rationum momenta, metaphoras, seu translationes,

mentius divino Spiritu suggestente dicere. Sunt & qui medium viam , quam probo , tenent , ut una pagina rem , de qua dicturi sunt , summatim , & methodice complectantur : quin & verba apposita ad rem ipsam adjungunt , ordineque omnia disponunt : Sic fit , ut liberiore , cum res postulat , campo excurrere possint ad amplificandum sermonem , & eloquentiae vim ostendandam , utque affectus movere possint subitario dicendi impetu . Et hæc quidem ratio , mea sententia , tuta est , & frequens .

Phrases , dicendique modus , & verba cavendum , ne affectata adhibeantur , & plus æquo conquisita ; hæc enim dicentis animum exsiccant , & audientis . Vittanda contra , & verba sordida , rustica , barbara , & obsoleta ; sit itaque sermo castus , quem nemo æstimator æquus facile reprehendat . Descripta jam concione , repeatat interdum , ut memoriaz non solum infigatur , verum etiam , ut

decentibus verbis, gestuque, & actione exprimat, priusquam in publicum prodeat, præsertim si non magna dicendi venustate, naturæ beneficio, & arte polleat, nec usum concionandi habeat. Sunt qui memoria locorum utuntur, & artificiosa, quam ab Oratoribus, adhibitis imaginibus, didicerunt. Sed vidi his impediri sæpe numero, magis quam juvari. Mediam itaque viam hic quoque tenere juvat, ut in margine Orationis scriptæ sex, vel octo locis præcipuis notas pingat, ut Crucis figuræ, litteras, & numeros, quibus memoria comprehensis fidere possit, si forte, ut sæpe accidit, memoria exciderent, quæ dicitisset, vel inter concionandum turbaretur; ad quas notas, tamquam ad anchoram confugere queat.

Opportunum tempus concionis memoriaræ mandandæ est pridie vespertinis horis accurate ediscere, priusquam quieti se nocturnæ, somnoque necessario tradat, ut a somno vigilanti species im-

pressæ occurrant ; cubitu vero surgens exigat a memoria , quæ pridie , tamquam deposita tradidit . Orationem quoque ad Deum matutinam ea de re instituere poterit , de qua verba ad Populum facturus est , ut sibi ipse persuadeat , quod aliis dicendo persuadere conatur . Facilius enim id consequetur , ut alios in suam sententiam rapiat , qui sibi primum persuaserit , quod ab aliis extorquere nititur .

Neque vero minus studium est adhibendum in iis , quæ dicenda non sunt , quam quæ dicenda videbuntur . Verba itaque de re controversa , & gravi impendat , ne quid excidat imprudenti , quod cum Scholastica pugnet Theologia , & si forte humanitus , ut fit , aliquod verbum imprudenter excidisset , aut sententia , quæ in malum sensum rapi posset , & periculose sonet , statim ipse priusquam ad alia perget , perspicue explicit , necesse est ; ne quod scandalum , aut offendiculum , quasi secius

o(29)o

de Religione sentiat Concionator , in
Auditorum animis relinquatur , nam ut
Propheta ait . Eloquia Domini , eloquia
casta . Psal. II.

C A P U T V.

*Quomodo se ipsum comparabit , & cum
fructu alios juvabit .*

Mater ; ut lacte nutriat infantem ,
se alit primum , curatque valetudinem ,
& solidos cibos mandit , quos in infantis
os ingerit . Ad eundem modum Con-
cionator , ut spiritualem escam Populo ,
quem filiorum loco habet , commode
præbeat , prius ipse cibum mandet , ut
sic in os infantis ingerat . Quare sacri-
ficeret pie , oret , jejunet , vigilet , lacry-
metur , flagellis se verberet , corpusque
pœnitentia subigat spiritui , & domet .
Sic fiet , ut peccata , quibus , tamquam
a Dœmonibus multi occupantur , citius
expellat ; nam , ut Christus ait : *Hoc*

B 3

genus Dæmoniorum non ejicitur nisi per orationem, & jejunium. In precando Deum ejusdem Domini exemplum imitetur, qui cum ad cœlestem Patrem properaret, sic orabat. Pater cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo: nunc autem ad te venio, serva eos. etc. His tamquam commendatitiis literis, quas nobis vita abiens reliquit, uti ad Deum Patrem oportet, qui eas preces, haud dubie libenter accipiet.

Angelorum quoque subsidium implorat; a Seraphinis quidem amorem petat, a Cherubinis scientiam, & lumen, de cæteris Hierarchiis sua dona postulat, quæ a Domino acceperunt, præcipue vero ab Angelo Custode Auditorum potestatem sibi fieri postulet, docendi eos, tamquam discipulos, qui ejus sunt custodiæ commissi. Pudor quoque sit eos docere ausum, qui tales natūri sint, & Magistros, & custodes. Quorum si disciplina nihil profecerunt, quomodo tua, qui imperitus sis, & pec-

cator, doctrina proficiens? Roga item, ut inspirando ea suppleant, quæ in te desiderantur, vel negligentiam tuam, vel denique ne ab Angelo tuo illud audias: *Medice cura te ipsum: ipse serva, quam fers legem, & fac ipse prior, quod jubes.* Sic ex concionibus utile quid hauries animæ tuæ commodo. Da itaque operam, ut boni Magistri officio fungaris, re ipsa exequendo, quæ doces; ut de cœlesti illo Doctore accepimus, qui cœpit primum facere, quæ docere. *Act. I.*

Gum aliquam virtutem persuaderestudiose cupis, ejus Sancti auxilium implora, qui in ea excelluit, dum in terris versaretur. Exempli causa, de patientia verba faciens, commendate, tuaque D. Jobo: Si de Pœnitentia ages, Magdalenam appella: Si de continentia, & Castitate, Josephum: Si de Charitate, eum Discipulum, quem dilexit Jesus; ut horum apud Deum intercessione singulas illorum virtutes consequaris, & merearis per Dei Misericordiam, ut

cum fructu Populus , & verbum Dei si-
mul audiat , & custodiat .

Verum , cum ambitionis æstus oppu-
gnare , atque utinam ne expugnare , con-
cionantes soleat , præsertim si audien-
tium frequens sit concursus , armet se
ipse , pugnetque cum hoste illo , qui vi-
peræ instar cor ipsum , & sanguinem
bonum , tamquam veneno corrumpere so-
let . Hūic malo hoc esto remedium :
Suggestum consensurus verecundia du-
catur , & pudore ; quasi palinodiam ca-
nere pergit , & quæ dixit retractare sit
jussus . Revera enim , si recta rem ra-
tione expendas , hoc agis dum virtutem
laudas , atque commendas , retractas ea ,
& revocas , quæ turpiter antea peccan-
do commisisti , cum toties Deum offen-
debas . Se itaque , suaque opera accuset ,
& damnet , ipse sibi præco sit , & car-
nifex . Quæ cum ita sint , quid , o in-
felix cinis ! Si publice palinodiam canis ,
teque retractas superbis ? Si tuam ipse
vitam condemnas , cur extolleris ?

Triduo ante concionem stud'um sit obsequi tribus Trinitatis Personis: Primo die Deo Patri, memoriam commenda, postero die Filio intellectum, tertio die Spiritui Sancto offer voluntatem. Si quid forte memoria excidit, Patrem cœlestem appella; si alicujus loci difficilis explanationem, vel arcanum aliquod Sacræ Scripturæ investigas, ad Filium consuge; cum te aridum, & sine devotione comperies, roga Spiritum Sanctum, ut sui amoris ignem in corde tuo accendat; ut sic omnes animæ potentiae instrumenti loco sint Deo acceptæ, quo illis bene ad ipsius laudem, & gloriam utaris.

C A P U T VI.

Suggestum ascensuro; quid agendum.

COnscensurus ad dicendum, animi puritatem imprimis curet, & puræ con-

B 5

scientiæ examen adhibeat, tamquam mox
habita concione rationem reddere de-
beat animæ, & sistere se ante Tribunal,
judiciumque justi Dei . Qua de causa
in mentem illi veniat Filium Dei Jesum
Christum suggestum, & Cathedram Cru-
cis ascendisse, ut mortem ibi appre-
teret, Apostolum item Sanctum Andream
ex Cruce concionatum, eamque miris
antea laudibus extulise, in eaque expi-
rasse. Sic qui nunc verus est Christi
Crucifixi Concionator ita in suggestu
stare debet, ut præparatus sit cruciatus
perferre , imo & mortem appetere in
testimonium , & defensionem verbi Dei,
quod concionatur , & Ecclesiæ Catholi-
cæ Romanæ matris nostræ , & magi-
stræ.

Cogitet etiam Ecclesiastes se esse in-
star machinæ, seu bombardæ bellicæ ,
qua tamquam ariete muros superbos Ba-
byloniæ quatere vult Deus, atque pro-
sternere, se vero similem esse pulvri
tormentario , & fœtilem , & aëris instar

gravem, frigidum: pulverem se esse ni-
grum, sordidum, scetidum, & ad inqui-
nandum alios aptum, quos tetigerit:
qui pulvis, ut finem consequatur suum
ignem illi applicare necesse est Sancti
Spiritus, qui illum incendat, ut olim
Pentecostes die corda Apostolorum igni-
tis linguis inflammavit. Quo dono, ut
potiaris, & luce, & igne humiliter, &
cum fiducia recites Hymnum.

Veni Creator Spiritus
Mentes tuorum visita:
Imple superna Gratia,
Quæ tu creasti pectora. ec.

C A P U T VII.

Concionatoris officium in suggestu.

IN suggestu non turbetur animo, ne-
que sibi dispiceat, si perpaucos ad con-
cionem confluxisse viderit; quin potius
mirari oportet existere unum aliquem,

B 6

qui illum audire patienter non recuset & Consideret, tametsi pauci ad audiendum venerint, nihil meriti sibi detractum iri, imo tantum addet lucri, quantum admittit, ne inanis gloriæ vitio tangatur. Matth. 17. Joann. 15. Christum itaque Magistrum summum præsentem habeat, Concionatorem Cœlestem, qui paucis sæpe discipulis, & uni mulierculæ infirmæ conditionis prædicare non erubuit, summo etiam labore, & lassitudine longæ viæ.

Paratus sit etiam silere, data jam a comite silentii signo, tametsi vix dimidium dixerit ejus quod attulit: præstat enim per obedientiam silere; quam sine illa diserte loqui: Erit tamen prudenter, ita sermonem temperare, ut una hora absolvi concio queat, neque enim extendi ulterius debet: nec proficit auditor, imo tædio afficitur, nauseamque concipit, etiam de auditis, si horam Concionator excedat.

Gestus, motusque corporis personæ,

& decoro convenient; & officio respondent & rei , de qua agitur . Cavendum , ne in gesticulando nimius sit , ut hystrionis personam in scena agere videatur , nec contra ita quietus stet , atque immobilis , ut statua , non homo videatur . Meminerit actionem , & pronunciationem principem esse Oratoris partem teste Demosthene , & velut Orationis vitam .

In historiis narrandis vitanda prolixitas ; fastidium enim pariet , tempusque , quo docendus potissimum populus est , amittit . Cum Peccatorem reprehendet , cogitet se ipsum reprehendere . Se enim peccatorum maximum aestimet necesse est . Id erit per facile , quando nullius , imo ne omnium quidem auditorum tot errata agnoscit , quot ipse se commisisse conscius est . Sic docendo , frumentaque auditoribus adserendo , ne ipse quidem expers ejusdem fructus erit .

Non pigeat , pudeatque sententias , & praeclare dicta ab aliis concionari , licet

sint æquales, & sui temporis scriptores: respiciens in exemplum Christi, qui cum sapientia esset Patris, eadem tamen prædicare non erubuit, quæ pri-
dem Præcursor Joannes, nimirum de
pœnitentia in deserto concionatus erat.
Hinc etiam discat Ecclesiastes, sæpe
verba facienda publice, privatimque,
exhortandumque populum esse ad pœni-
tentiam: Ille enim sensuum ductu, &
depravata consuetudine ruit in delicias,
mundique voluptates. Animadvertis
Deum per Hieremiam falsos appellare
Prophetas, qui non prædicant pœniten-
tiam. Propheta, inquit, *tui viderunt tibi
falsa, & stulta, nec aperiebant iniquita-
tem tuam, ut te ad pœnitentiam provo-
carent.*

Si concionanti, forte quis rumor ob-
strepet; patienter ferat, neque animo
turbetur, vel iracundiam ostendat: ne
dum patientiam alios docet, se ipse pa-
lam resellat, quod ea virtute careat.
Meminerit, se majori antea impedimen-

to aliis fuisse , quominus Dei vocem audirent , quam qui sibi nunc obstre-
punt . Si quid dictum sit , ut rumor con-
quiescat , modeste id fiat , absque animi
perturbatione , & auctoritati simul , &
humilitati locus sit .

In reprehendendis moribus , & vitiis
prudentiam adhibeat , & modestiam :
Si enim verba animas offendunt , vel a-
spere , & acerbè id fiat , majus erit of-
fendiculum , & detrimentum , quam e-
molumentum , & emendatio . Prudentis
est medici catapotia inaurare , ut a de-
bili stomacho suaviter accipientur , &
quamvis inaurata sint , nihilominus ope-
rantur . Correctio fraterna sit cum can-
dore , & in charitate , & facile appareat
proficiisci ab animo pio , vereque chri-
stiano , & commiserante , qui que ejus
qui reprehenditur salutem quærat . O-
stendat item se neminem improbum
existimare , aut notare ; tantum cavere
velle , ne hujnsmodi peccata committan-
tur , neve quis improbus sit . Verba ita

temperabit, ut si quis læsum se suspi-
cetur, molesteque ferat, vere dicere Con-
cionator possit, non ejus causa dictum
esse. Temperari autem correctio frater-
na potest, & mitigari allato aliquo lo-
co, vel exemplo Sacræ Scripturæ, vel
ex SS. Patribus, quibus eadem vitia re-
prehendantur. Ut enim non tu es, qui
loqueris, sed Spiritus Sanctus, ita nec
se jure læsos esse doctrina tua conque-
ri poterunt. Denique reprehensio com-
miserationem ostendat, non indignatio-
nem, aut odium cuiusquam. Habeat &
personarum delectum, quas reprehendit:
Sic enim docet, jubetque Apostolus
Paulus: 1. Timoth. 3. Senes, ut Patres,
anus ut matres reprehendat. Incredibile
dictu est, quanto studio Dæmon Evan-
gelico melli fel admiscere reprehendendo
conetur, ut multos hac ratione ab au-
diendis concionibus deterreat, vel invi-
diam, & odium Zelotis Ecclesiasticis
conciliet. Si quando visum erit neces-
sarium saluti, & conservationi ejus,

qui corrigitur, ut vulnus detegatur, & cauterium adhibetur, oleum etiam suavitatis addendum esse meminerit: Exod. 8. Sic enim Deus olim durum Pharaonem accepit, quem & plagis multis affecit; mox flagellum avertit, ut ad se rediens resipiceret, moresque placide emendaret. Si inter concionandum loca occurrant, quae tamen domi non cogitasset, non temere proferat, tamquam non satis matura. Solet enim Dæmon saepe numeto haec suggerere, ut concionantem turbet, vel avocet a re aliqua, ab ea de qua agebatur, cogitatione rei non magni momenti: ne si forte sui spiritus robur agnoscat, lumenque ingenii, & ad rem ipsam facere videatur, vel silentio rem præteriisse, scrupuli religionem injicere posset: Quod si accidat, redeat statim, ad ea quae domo meditata attulit, habito respectu cœlestis doctrinæ; ne nimia sui fiducia, ut fit, in errorem labatur.

Hæreses, & errores, qui cum catho-

līca pugnant veritate, ne temere, & si-
ne delectu tractet in suggestu Concio-
nator, propterea quod eorum rudes, &
imperiti nihil his proficiant, & quam-
vis doceri possint, præstat tamen non
attingere. Scimus enim majorem esse
Dœmonis astutiam, quam humanam
prudentiam, & vigilantiam. Prudentis
itaque Ecclesiastæ officium erit robur
addere argumentis Catholicæ Fidei, &
cum ea pugnans mendacium refellere a-
lia via; ut verbi gratia, cum se occasio
offeret, confirmabit, obedientiam Ro-
manæ Ecclesiæ debitam, firmabitque
Scripturæ locis, & rationibus virginita-
tis donum, cœlibatum Sacerdotum: e-
numerabit fructus Religionum, Religio-
sorumque hominum; exagerabit meritum
bonorum operum, & pœnitentiæ, hor-
tabitur ad obedientiam Principum, &
Antistitum Ecclesiasticorum: item de
fructu indulgentiarum, tam pro vivis,
quam pro vita functis, & intercessionis
utilitatem, & invocationem Sanctorum

commendabit, ut & cultum reliquiarum,
 & memorias illis consecratas. Et haec
 quidem omnia prudens Ecclesiastes san-
 tho zelo ita temperabit, ut qui noverit
 contraria esse errores, intelligat qua-
 ratione refelli possint: qui vero non no-
 verit, in sua permaneat simplicitate,
 & se ipse consoletur, habeatque ad ma-
 num, si forte intus, exteriusque tenta-
 retur in fide, quo se tueatur: In Pro-
 vinciis vero hæresi contaminatis, non
 opus est hac cautione, sed aperte, ta-
 men in charitate, & visceribus doloris
 hæreticorum fraudes, cœcitatem, erro-
 res detegat. Quod tamen non aggredia-
 tur in suggestu, nisi omnibus nervis,
 ingenii & doctrinæ vi, & spiritu, & ar-
 gumentorum pondere adhibito, ne dum
 sanare vult, plus noceat, usus infirmis
 argumentis.

Vitandum, & illud, ne in corona
 hominum indoctorum agat de gradibus
 perfectionis spiritus, & de Orationis, &
 contemplationis sublimitate: pauci enim

intelligent, & multi animum in tanta luce despondebunt. Si enim videat se scopum non attingere, qui proponitur, vulgus se errare putet, suaque opera bona nullius esse meriti, & quæ cœperant, modica. Alii vero carnis servi illa irrident, nec facile assentiuntur hujusmodi orationis, & contemplationis sublimitati: Sic fit, ut & Concionator inanis gloriæ vitio periclitetur, & auditor vacuus domum, & aridus redeat. Consultum itaque fuerit, ut doctrinam ad auditorum captum temperet, ac moderetur.

Vitabit auxeses, hoc est exaggrationes nimias, & Hyperboles, & laudes sine exceptione, & comparationes odiosas de præstantia Sanctorum inter se: nec virtutes, vel opera temere ita extollat, ut cæteris omnibus anteponat. Nam præterquam quod hæc sine auditorum fructu dicuntur, si ad examen, & trutnam vocarentur, negotium concionanti facessere possent hujusmodi exaggera-

tiones. Tutijs itaque fuerit candide loqui, & moderate. Non satis sit virtutes laudasse, & Santos, sed & media ostendat, & viam, qua imitari queant auditores: ostendens interea spinas, quæ viam ad æternam salutem impeditam reddunt. Viæ, quas ad virtutem patefaciet, multæ sint, & faciles, alii enim alias ingrediuntur.

Quo populum libentius se audire videt, & attentius, atque frequentius, eo audacius veritatem, in iis, quæ oportet, exponat; vitia item, & abusus non tacet: memor Domini Salvatoris nostri, qui quo die ab Hebræis honorificentius, cum applausu, & ramis acceptus fuit, cantantibus illis: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Matth. 11. Eo ipso die ejecit e templo summa severitate, & flagellis ementes, & vendentes.

Vitabit & illud, ne humano respectu, aut spe commodi adductus & lucri munus exerceat suum; nisi velit lepram peccatorum, quam a populo aufert, in

se recipere : ut Gieso avaro accidisse
legimus , qui lepram in se suscepit ,
quam a Nahamo Divina Gratia conver-
so abstulerat . 4. Reg . 5.

C A P U T VIII.

*Dimissa Concione Concionatori, quid
agendum.*

Finita concione , ubi se in cubiculum
Ecclesiastes receperit , gratias aget Deo ,
quod opera sua in tam sublimi ministe-
rio , utilique fine , uti voluerit . Repetat
memoriae errata , quæ concionando com-
misit , ut se ipse humiliet , atque alias
eadem fugiat . Sic fiet , ut munitus sit
adversus laudes , & adulationes aliorum ,
& contra cœcum sui amorem , & ina-
nem gloriam , quæ apertis mendaciis
fallunt , & excæcant , nisi spiritus sit
humilis , atque subactus . Ut autem se
ipse humiliter cognoscat , suamque mi-
seriam , effugiatque adulationes , dicat .

Summe Deus , quoties hodie contra me misserum peccatorem sententiam dixi ? Quantum inter se pugnant apud me dicta , & facta ? Tepidus ego , & delicatus , quam in alias severus sum excitando , & reprehendendo ? contra in me , quam molli sum , & blandus ? Mibi ipse , quam facis te ignosce , ceteris vero minime ? Vide quomodo de Evangelica perfectione disserere audeat , qui tam longe ab ea distat violator præceptorum tuorum ? Evidem leoni similis videor , qui cauda sua pedum vestigia delet : sic ego operibus , & vitæ vestigiis obscurare videor eam , quam verbo doceo doctrinam .

Si forte dicent amici fructum te concionando referre , dic cum humili Virgine Maria : Magnificat anima mea Dominum : & cum Propheta Regio : Dico ego opera mea Regi : Regis enim cœlestis sunt omnia , quæ cœli ambitu continentur , ipsique omnis gloria debetur . Et hic quidem fructus est grani in terram cadentis , & mortui , cum ipse vult ,

Et quantum ei placet. Nos vero servi
 inutiles sumus, & cum omnia fecerimus,
 quæ oportet, nondum satisfecimus. Si for-
 te contra dici audieris: nullum ex tuis
 concionibus fructum apparere, satis tibi
 sit morem gessisse imperanti, quæ res
 non modici quæstus est. Et dices: Sal-
 tem Domine Deus, quando nulli rei satis
 idoneus sum, testis esse possum, & præ-
 co Divinæ tuæ voluntatis, prædicans le-
 gem tuam ore meo hominib[us], ut justifi-
 ceris in sermonibus tuis, & vincas cum
 judicaris. Illud quoque consolationi sit
 cogitanti, tametsi fructus non appareant
 hominibus, sæpe tamen Deum solere
 clam percipere, corda auditorum mo-
 vendo, quæ solus ipse scrutatur, & videt;
 sub hominum vero aspectum non cadunt:
 Meminerit & Apostolos, Discipulos Jesu
 Christi Evangelium prædicando per to-
 tum Terrarum Orbem, paucos sæpe mo-
 vendo, modicum fructum retulisse, quem
 post mortem illorum, tamquam ex se-
 mine natum colligi Deus voluit.

Audis fortasse murmur de te natum esse, cave turberis, si causam non dederas, imo gratias Deo age, qui audit detractiones, & blasphemias, quas & ille concionatus in terris audivit, postquam, & docendo, & ægrotos sanando omni bono de Judæis meritus esset: Et quamvis alii per te non profecerint, saltem tibi profuisse videare concionando. Vide quantum te prædicatione Evangelica obstrinxeris, ut eadem, quæ aliis præceperis, servanda tibi esse scias. Si enim contra ea, quæ docueris, feceris, similis eris sepulchris dealbatis, foris quidem albis, & ornatis, intus vero ossibus, & fætore plenis.

His, & similibus meditationibus humilem se concionator servet necesse est; & quanto erit humilior tanto etiam maiores fructus reportabit, eritque gravior Deo Optimo Maximo, qui perfectissimus est Evangelicæ prædicationis Magister, & unicus humilium Concionatorum Doctor: cui cum Patre, & Spiritu Sancto, laus & Gloria in sæcula sæculorum. Amen.

C

S. FRANCISCI XAVERII S.J.

ELLOGIUM.

A Philippo Alegambe *ibid.* pag. 43.

SANCTUS Franciscus Xaverius natione Hispanus, patria Navarrus, vir plane Apostolicus, ab Urbano VIII Pont. Max. gloriose Indiarum Apostoli titulo decoratus: Adolescens studiorum causa a parentibus Parisiensem in Academiam missus est, ubi Philosophicas & Theologicas disciplinas egregie didicit; Philosophicas etiam publice professus est. Quo tempore S. P. Nostro Ignatio eiusdem cubiculi socio familiarissime usus, hujus Xaverius virtutis, & sanctimoniae admiratione ita captus est, ut se illius potestati permitteret, & ad constituendam Societatem Collegam adjungeret: Deinde exactis studiis, Gallia resista, peragrata Italia, ubique perfectæ humilitatis, suique victoriæ impressis

vestigiis , a Paulo III Pont. Max. Joannis III Lusitanæ Regis rogatu , in Orientis Solis Indiam delegatus est , ubi incredibile est quos labores tulerit ; quas ærumnas devoraverit , quot populos Evangelii luce perfuderit , quot maria , quot insulas perlustraverit , quam turbulentis tempestatibus jactatus , quantis miraculis & vivus & mortuus nobilitatus sit . In Japonem primus cœlestis doctrinæ lumen invexit : multos Reges idololatras christi jugo subjicit . Denique in latissimi Chinensis Regni (quod Christi armis expugnare parabat) aditu ipso sanctissime vitam profudit , die II. mensis Decembris , anno Salutis M.D.LII. ætatis suæ LV. Porro submissio animi , Dei caritas , animarum zelus , magnanimitas , fortitudo , patientia , perpetuum Orationis studium , vitæ asperitas , Evangelicæ paupertatis amor , cæteræque omnes virtutes tantæ , tamque eximiae in Francisco enituerunt , ut oratione vix explicari , nedum ornari posse videantur .

C 2

Demum cum gloria miraculorum per totum terrarum orbem longe lateque fulgeret, ejusque in omnibus populis magis magisque veneratio increbresceret, Paulus V. Pont. Max. honores ei Beatorum Confessorum decrevit brevi Apostolico ad diem XXV. Octobris anni M.DC.XIX.; atque SS. D. N. Urbanus VIII anno M.DC.XXIII. Octavo Idus Augusti litteras Decretales Canonizationis dedit, queis Sanctorum catalogo additus est. Qua in Bulla Canonizationis. §. 3. hoc de S. Xaverio judicium testatum legimos: *Diversarum ac incognitarum Gentium linguis, quas non noverat, divinitus edocetus, quasi in eisdem terris educatus esset, disertissime loquebatur.*

Idem etiam plura scripsit spiritus cœlestis & divinæ prudentiæ refertissima: quorum memoria superest, hæc sunt.

1. *Brevis Doctrinae Christianæ Epitome, Lusitanica lingua, quæ totum Orientem pervagavit, semper magni habita.*

2. *Catechismus Malabarice, quo viri*

Apostolici in ora Comorini usi sunt.

3. Cathechismus, Malacensi lingua.

4. Cathechismus, Japonice.

5. De origine mundi, & vitæ christi mysteriis, Sinice, & Japonice.

6. De Sacris Ecclesiae festis, Japonice.

7. Super Septem Psalmos de Pænitentia,
& litania, Cangoximæ.

8. Conciones plures, Hispanice, quas
Paulus Sanctæ Fidei Soc. J. Iaponice
transtulit.

9. Epistolæ Selectæ. LXX. Romæ 1596.
partim a Petro Maffejo, & Horatio Tur-
sellino, partim a Possino, & Cutillate in
latinum sermonem ex Hispanico conver-
sæ, sæpius editæ, cum ejus vita ab Ho-
ratio Tursellino viro claris. qui VI li-
bris S. Xaverii mores, vitam, obitum, &
miracula posteritati nitide commendavit.

10. Epistolæ quotquot reperiri potuerunt.

CXVI. Bononiæ. 1795. Vol. II. 8. maj.

11. De officiis hominis christiani; Sub-
diti; Superioris; Regis; Doctoris; Con-
fessarii; etc.

12. *De officiis Viri Apostolici, Parte-*
nesis ad Gasparem Barzaeum, cum is
Armuziam peteret, ut depulsis Indorum
tenebris Evangelii face ultimi orientis
oras collustraret. Edita primum fuit a
Jo. Petro Maffeo Soc. Jesu in latinum
e Lusitanico sermone conversa, in hi-
storia rerum Indicarum Venetiis anno
1589. Ex qua Urbe nunc iterum in lucem
prodit sub Em. ac Rev. Ludovici Flangi-
nii Card. Patriarchæ præsidio tutelaque,
cujus in primis virtute Christiana res Ve-
netiis nititur, ut ejus Sacerdotes qui
verbum Dei disseminare, errantesque
mortalium mentes ab infelicitibus vepre-
tis & saltibus ad læta Domini pascua
caulasque reducere nituntur, christianæ
facundiæ verissima præcepta habeant at-
que exempla, queis instruuntur *Sanctissi-*
mus Indorum Apostolus per summam
animi contentionem, perque summa pe-
picula & difficultates, pertinaci studio
salutarem Christi domini doctrinam in
remotissimas nationes late propagavit.

SANCTI PATRIS
FRANCISCI XAVERII S. J.

DE OFFICIO VIRI APOSTOLICI EJUSQUE
FORMA PERFECTA.

*Parænesis ad Gasparem Barzæum cum is
Armuziam peteret.*

IN Armuziana ista provincia, primum
& antiquissimum tibi sit Dei obsequium,
& animi tui cultus. Ex hisce fontibus
cætera ad proximorum utilitatem large
manabunt ac proinde curabis, ut semel
bisve quotidie te ipse ad calculos voces
atque integer judec cognitionem exerceas,
tum communem omnium illius diei cogi-
tationum & actionum tuarum, tum ve-
ro propriam earum, in quibus aliqua
per id tempus præcipuo studio vel præ-
cavenda, vel corrigenda, vel ad perfe-
ctum expolienda suscepferis. In primis
vero, Christianæ humilitati intenta cura
studeas velim: eaque potissimum obeas
ministeria promptus ac libens, quæ cæ-
teri velut abiecta & minime speciosa fa-
stidiunt. In eo genere catechismus est.

C 4

quas tu partes ne alteri delegaveris. circa meridiem singulis diebus compita urbis cum socio circuibis ipse, plebem in templum elata ciens voce. Ibi Lusitanorum filios, puerosque, & libertos, nec non sexus utriusque mancipia, salutaribus institutis atque præceptis erudies: teque publice præeunte, promiscuum vulnus Chsistantias precationes, & pia dogmata resonabunt. Atque idipsum eo majoris apud te momenti debebit esse, quod ejus laboris patientia non modo imperitos idiotasque ad notitiam Dei atque ad uitatem informat; sed etiam reliquorum animos. cum tacito quodam plausu atque approbatione conciliat. Delatus Armuziam, Pro-Episcopum adibis officii causa: eique ad genua protinus accides, & manum exosculabere. ex ejusdem auctoritate conciones habebis; in confessiones audiendas incumbes; & cæteris Christiani pastoris fungere muneribus. Simul, operam dabis, ut ab eo gratiam & benevolentiam ineas, quo per te, si fieri

possit, piis animi saltem rite purgandi meditationibus imbuatur. Reliquos item Sacerdotes animi summissione & officio demerebere: curabisque ut ex iis quamplurimos ad easdem meditationes Deo adiuvante perducas. Praefectus item praesidii, qualis qualis ille sit, enitere quantum poteris, ut amicus ac propitius tibi sit: neque res ulla erit tanti, uti dicto factove illum exasperes. Ubi hominem tibi arte devinxeris, tum si & male audierit, & monendo reddi meliorem putaris posse, & occasio commoda inciderit; quam amicissime ac demississime, & ore placido eidem expones, quinam de illius aetate & vita sermones hominum sint: suadebisque, uti famae pariter & officio consulat. Multi erunt, qui de illo ad te querimonias deferant; tuamque apud eum prophanis in rebus implorent opem. hisce tu occupationum tuarum & magnitudinem excusabis, & genus. addes, vereri te, ne parum ea legatione proficias: qui Numen & conscientiam spernat, hunc

C 5

tua quoque monita nibili esse facturum.
Cum Sodalitio Misericordiae, fac ut quam
optime tibi conveniat: sodalesque ipsos,
quoad ejus fieri poterit, mansuetudine ac
benevolentia comprehendas: ac totum o-
pus, quibuscumque licuerit rebus, pro vi-
rili parte promoteas. Ægrotos in publi-
co nosocomio; & vinclitos in carcere i-
dentidem vises; hortaberisque ad cœle-
stes iras per sacram confessionem aver-
tendas, quandoquidem ii, propter admis-
sa piacula serme plecturi, & sunt qui
Sacramentum Pœnitentiæ nunquam obie-
rint. Ad hæc, ubi res postulaverit, ages
cum præsidibus utriusque loci, uti ma-
ture cognoscantur singulorum caussæ;
ac simul, ut egentibus miserisque adtol-
erandam vitam necessaria præbeantur.
Jam, inter navigandum, & postea quam
excederis, omni ope contendes, uti per
idoneos certosque homines, Armuziani
populi mores ac vitia domi forisque; ge-
nera pactionum & quæstuum; necnon in
forensi re corruptelæ, factiones, calu-

mniæ, & alia id genus, quibus opprimi-
tur veritas, tibi quam notissima sint :
quo ad ea postmodum curationes ac me-
dicinam scienter accommodes. Hoc tibi
ad rem ex animi sententia gerendam lon-
ge utilius fuerit, quam librorum attenta
pervolutatio, minime tamen alioqui o-
mittenda. Mihi quidem, in omnes par-
tes plurimum semper illam notitiam pro-
fuisse perspexi. In capessenda autem
Christiana re', delectuque negotiorum
habendo, illud vitabis in primis, ne,
quorum fructus ad unum vel ad paucos
pertinet, anteponas iis, quæ plures, vel
etiam universos attingunt: sed quo latius
quidque, eo potius & antiquius tibi sit.
Quos in Societatis nostræ disciplinam
admiseris, eorum profectum cave ne a-
crioribus testamentis explores, quam
quæ pati, ut ægroti natura, sic tyronis
imbecillitas possit. Sed semper infra po-
tius, quam supra vires probatio sit : a-
lioquin exacerbantur multi, sensimque
desperant; ac domitis ad extremum fræ-

nis, in avia & dirupta præcipites abi-
eunt. Atque hoc toto in genere, prorsus
vitanda censeo experimenta, quæ vel
inani & absurdâ novitate, vel etiam pro-
caci quadam & cynica libertate, aut ri-
sum spectantibus, aut stomachum mo-
vent. Tu vero sectabere quæ & in vul-
gus accepta sunt, & cum ratione pari-
ter ac pietare consentiunt: eujusmodi
sunt quæ posui modo; carcerem & va-
letudinaria fsequenter invisere; vincis &
decumbentibus, in utroque homine pa-
tienter ac sedulo ministrare; itemque
ad paupertatis voluntariæ documentum,
panes & nummulos emendicare palam;
& alia id genus. Porro, ad regendos,
& in virtute promovendos alumnos, il-
la res una vel maxime proderit, comi-
tate quadam eos & paternæ benevolen-
tiæ significatione perlicere ad arcana pe-
ctoris sui plane tibi nudanda; sic prorsus,
uti omnia cogitationum initia, qui-
bus vel a depravata natura, vel a malo
dœmone sollicitantur, extemplo ad te de-

ferre non dubitent. Hæc deferendi &
 communicandi fiducia & consuetudo,
 mirum, in omnes partes quantopere con-
 ducat, siquidem occultæ hostium fra-
 des, & improbæ petitiones, in medium
 protractæ, vel ipsa luce protinus eva-
 nescunt; vel, si urgere perstiterunt, va-
 riis remediis opprimuntur. quibus in re-
 mediis expertæ virtutis illud est; ubi
 quempiam inani gloria, corporum ille-
 cebris, aliave parum honesta cupiditate
 irritari cognoveris, huic præscribere spa-
 tium adversus ea vitia meditandi: tum,
 quæ excogitaveris, jubere ut ea populo
 per occasionem adhortationis impertiat,
 Hinc duplex percipietur fructus; tenacio-
 ris memoriae, quod sere quæ commenti-
 sumus, promendo & commemorando,
 altius nostris animis infiguntur: saluta-
 ris verecundiæ; quod nos ea non exse-
 qui pudeat, quæ ipsi aliis facienda præ-
 cepimus. In Sacramento Pœnitentiæ,
 eum negotiatoribus præsertim amplis &
 opulentis, sunt quæ ante criminum co-

gnitionem, in ipsa cognitione, & post cognitionem observes. Ante cognitionem; curabis, uti reus idem & auctor (nisi id mysterium frequentet obire consueverit) biduum aut triduum sumat ad anteactæ vitæ reputanda peccata, & simul memoriæ caussa in schedulam ex ordine referenda: ut ne imparatus, & sine aliquo morsu doloris pudorisque, ad accusationem accedat. In ipsa vero cognitione, si turpitudine flagitorum, aut magnitudine scelerum, quod sæpe fit; absterreri hominem senseris, quominus ipse se prodat; hilari facie, blandoque sermone, quin etiam, si opus fuerit, variis te quoque morbis animi olim implicitum fuisse testando, uti singula probe fateatur, adduces; & cum alia diligenter investiganda & elicienda sunt: tum vero accuratissime, quæ ad nefaria lucra, & res dolo malo partas aut tentas pertinent. Etenim, si quem fœnore contaminatum, aut peculatu, vel inquis pactionibus, in universum inter-

roges, num aliena possideat; ut est pro-
clivis ad sui tutelam, & sibimet liben-
ter ignoscit hominum natura, facile in-
ficiabitur: sin genus vitæ artisve quam
factitet, si usuras, & conrrahendi, mer-
candi, vendendi formulas nominatim ex-
quiras, & (si regius forte præfectus cur-
ratorve sit) si de interversa intercepta-
ve pecunia, de monopolis per vim ne-
fasque institutis, deque aliis quæ magi-
stratus contra voluntatem Regis, & jus
commune plerunque sibi pro potestate &
imperio vindicant, singillatim percun-
ctere; multorum haud dubie delictorum
confessionem exprimes, quæ reus alio-
qui, vel per malitiam, vel per inscitiam
silentio forsitan involuisset. A confes-
sione, si noxius tibi dura & perficta vi-
sus erit fronte; comperendinabis videli-
cet, eique certos interea locos ad com-
mentandum assignabis, quorum conside-
ratione, tamquam repetitis iſtibus e si-
lice, pectoris sui pios gemitus, & ali-
quas amoris divini scintillas excutiat.

Quod si fraudati quid forte restituendum vel condonandæ injuriæ , vel scorta relinquenda , vel ejusmodi quippiam expiandum sit; plane videbis , uti ante latam sententiam expietur , neu te largis cuiusquam pollicitationibus induci per mittas : nam qui piaculis ejusmodi obstricti tenentur , ab Sacerdote appellati , magis in promittendo interim faciles , quam in præstanto postmodum fideles existunt . Ubi sine fallacia ab reo satis factum esse didiceris , tum demum , æternis vinculis absolutum , temporario aliquo suppicio rite injuncto , dimittes . Si qua pecuniæ summa , seu propterea quod justi domini copia nulla sit , seu etiam pietatis ac beneficentiæ studio , erit in pauperes conferenda ; nequaquam ego tibi sim auctor , ut illius pecuniæ te sequestrum ac diribitorem exhibeas , sed eam tu (nisi tibi secus interdum in re præsenti videbitur) ad Misericordiæ soiales extemplo rejicies : atque id multis gravibusque de causis . primum , quod

tibi non æque ac sodalibus nota est mendicorum & egentium turba : quorum, alii sæpe morbum, alii probitatem & sanctimoniam , alii etiam inopiam ipsam egregie simulant. Ad hæc, si percrebuerit , humanis necessitatibus & egestati paratum in tua facilitate subsidiū esse ; tanti undique petentium cursus ad te sient, uti ad Apostolicas functiones , quæ tibi primæ esse debent, otii nihil supersit . Non est porro æquunt, te qui ad Evangelium prædicandam Veneris relicto Verbo Dei , ministrale mensis . Postremo , si pecunias ipse tractare assueveris, metuendum est, ne famæ tuæ atque existimationi aliqua labes ab inquis , & omnia pejorem in partem interpretantibus , adspergatur . Quæ cuncta incomoda effugeris, si hasce Christianæ caritatis , & officii partes, eidem Sodalitio delegaveris. Quotidiani usus præcepta , ad æternam salutem præcipue necessaria, in Beatæ Virginis , & in Misericordia templo palam

in tabella propones. Ad ea per legenda,
exscribenda, &c, quod caput est, obser-
vanda, cum cæteros invitabis, tum ve-
ro pœnæ loco, si res postulet, adiges
in tempus certum, quorum ipse confes-
sionem excepéris: ut inde perpetuum,
si fieri possit, ejus disciplinæ consuetu-
dinem sponte retineant. Singulis vero
noctibus, voce ad commiserationem ac-
commodata, vicatim populo commen-
dabis opportuna deprecatione adjuvandas
animas, quæque in hac vita peccato le-
tali tenentur, quæque in altera purgato-
rio igne torquentur. Statis per hebdo-
madam diebus operam conferes ad simul-
tates civium dirimendas, restinguenda
odia, forenses denique controversias
componendas, quippe quarum impensa
magno civium damno sëpe sortem ex-
superant. Ergo iis omni ope obviām
ibis: atque ipsos etiam quorum inter-
dum culpa lites aluntur, scribas ac le-
gulejos, tibi aliquo pacto devincire, &
salutari quopiam remedio sanare cona-

beris. In concionibus autem , quo ma-
gis commune bonum id est , eo majo-
rem , uti dicebamus , industriam , & as-
siduitatem , & operam collocari , neque
illas ad vulgi oblectationem plausumque ,
sed ad morum emendationem , & unius
Dei gloriam omnino referri par est .
Animorum quippe agitur salus : adhi-
benda vulneribus remedia ; non prurien-
tes auses curiosis quæstionibus , & in-
ni sermone scalpendæ , ac proinde ac-
cessita , fucata , dubia , obscura , con-
troversa , ne in medium adduxeris . vir-
tutis amorem , vitiorum odium excitare
contendes : & ex iis quæ pro universo
mortaliū genere Christus Dominus a-
cerbissima pertulit , locum subinde ali-
quem inducendo , ad male aëtæ vitæ de-
testationem , ad lacrymas , ad Pœnitentia-
& Eucharistia Sacra menta populum
vehementer impelles . Inter dicendum
autem , vide ne quem eorum præsentim
qui cum imperio ac potestate sunt , a-
perte perstringas . Exulcerare plagas hoc

quidem est, non curare. & qui longius
in eo genere provehuntur, efficiunt ni-
hil, nisi ut magno labore, fructu nullo,
gratias perdant, odia colligant. Privatae
objurgationes in privato adhibendae sunt,
& quidem plurima humanitate consper-
sae. opulentis vero ac potentibus viris,
quod ferme delicatum & fastidiosum est
genus, inter ipsam admonitionem sub
inde etiam te ad pedes abjicies; vel,
si res tulerit, caros dabis amplexus:
plane ut perspiciant non tristitia te ul-
la, vel severitate, vel negotiorum appe-
tentia, sed eximia quadam benevolentia
& caritate, ad officium reprehensionis
adduci. Jam vero, de familiari convi-
tu, & quotidiana cum hominibus con-
suetudine, haud levis est animadversio;
multasque & magnas ea res habet cau-
tiones: quarum prima illa est: Ita ut-
tendum amicis, quasi non tu quidem
illis, sed illi tibi olim infensi, infesti-
que futuri sint. Id si præsumperis ani-
mo, longe attentius omnia circumspi-

cies, teque ipse in officio continebis ;
 neque in securitatem effusus , admittes
 quod aliquando tibi exprobrari , aut ob-
 jici possit . In universum tamen , te cun-
 ctis mitem , jucundum , affabilem præ-
 beas velim ; ut ea comitate illecti (nam
 alioqui anceps & periculosa curatio est ,
 quod item supra monuimus) omnes tibi
 pectorum suorum latebras , ac recessus
 aperiant . Alter locus cautionis est , o-
 peram des uti studiosos recti , verosque
 discipulos , a fictis pravisque dignoscas ;
 & convenientem utrisque facias medici-
 nam . Non enim deerunt plurimis obsiti
 ulceribus , qui , vel metu ne illa dete-
 gas , vel etiam captandæ ad cœteros
 commendationis causa , ultro sese tuam
 in amicitiam ac familiaritatem insinua-
 re non dubitent . ii , si te inter cætera
 ad prandium aut cœnam invitent , i sa-
 ne ; ac tu vicissim illos ad Sacramen-
 tum Confessionis invita : curaque , uti
 prorsus intelligent , fixum esse tibi cer-
 tumque , eos omni ratione ad Christia-

nam severitatem ac disciplinam, a la-
 xiore vita deliciisque traducere. sic fiet,
 uti vel in posterum te frustra interpellare
 desistant, vel (quod optandum est
 magis) ad meliorem frugem , te duce
 ac magistro , tandem aliquando perve-
 niant. A donis muneribusque (frivola
 quædam excipio ; quæ si recuses, largi-
 tor utique Lusitanus contemni se putat)
 omnino abstinebis , vulgati proverbii
 memor ; Captum esse, qui ceperit. Ioan-
 nes tibi Rex omnia ad victum , cultum
 que necessaria detulit . ejus utere beni-
 gnitate , atque idipsum modice , vel
 etiam intra modum ; ut votivæ pauper-
 tatis religiosa professio constet. Si mul-
 tis e partibus ad te cibaria cocta seu
 cruda mittentur ; ea tu ad carcerem ,
 vel ad valetudinarium publice depor-
 tanda curabis . atque hoc pacto , in tra-
 standis hominum ingenis tua tibi ratio
 longe solutior & expeditior fuerit. Quos
 ad vitia projectos , & in peccandi libi-
 dine perperam obstinatos offenderis ;

gehennæ quidem illos , & futuri terrore
 judicii maxime commoveri oportebit .
 sed quoniam hæc nimium abesse lon-
 ge , stulti homines putant , multi etiam
 propter fidei imbecillitatem , sint ne o-
 mnino ulla , turpiter ambigunt ; at tu ,
 morbos , ærumnas , calamitates , exsilia ,
 vincula , cædes , orbitates , naufragia ,
 bonorum proscriptiones direptionesque ,
 & alia malorum genera sexcenta percur-
 res , quibus in hac etiam vita impios ac
 pravi tenaces homines afficit Deus : ea-
 que denunciatione perditos & insanos
 ab amentia revocare conaberis . Si cum
 irato , & flagrante cupiditate vindictæ ,
 res tibi fuerit ; blanda primum oratio-
 ne , quasi aliud agens , mulcebis homi-
 nem : dein , capto circuitu , sensim ad
 causam accedes , ut quam ille queratur
 injuriam eleves verbis , & multo mino-
 rem opinione fuisse demonstres : aut
 etiam divino permissu relatam , quod
 injuriosum ille quoque se quondam in
 alios fortasse præbuerit . ad hæc & alia

Id genus dicta, si te aversabitur, cedes tempori scilicet: sin dederit sese, premes paulatim acrius, & identidem instabis, quoad se data perturbatione reliquam abs re medicinam libenter accipiat. eadem ferme observatione, ad leniendum dolorem, mœroremque, & cæteras animorum ægritudines, uti licebit. Atque hæc cum iis qui Christiani censentur. Convertendis autem ad Christum Judæis, ethnicisque, suum item spatum ac laborem imperties: quaten ad rem, ne longior sim, non pauca ex iis quæ supra posuimus transferri commode poterunt. Verum de his hactenus. redeo ad prima. Tu fac in aliorum curationem ita, mi Gaspar, incumbas, ut interea tuæ ipsius perfectioni ac saluti quam diligentissime consulas. Vale.

AD MAJOREM DEI GLORIAM ET B.
MARIE SEMPER VIRGINIS ET
OMNIUM SANCTORUM.

10862
Fondo librario antico dei Gesuiti italiani
www.fondolibrarioantico.it

Compagnia di Gesù
Fondo librario antico dei Gesuiti italiani
www.fondolibrarioantico.it

Fondo librario antico dei Gesuiti italiani
www.fondolibrarioantico.it

Fondo librario antico dei Gesuiti italiani
www.fondolibrarioantico.it



Fondo librario antico dei Gesuiti italiani
www.fondolibrarioantico.it

~~A~~ C VII
5^o

Fondo librario antico dei Gesuiti italiani
www.fondolibrarioantico.it



Fondo librario antico dei Gesuiti italiani
www.fondolibrarioantico.it



ario antico dei Gesu
w. fondolibra riaantie